



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

§. IV. Ex mente Doctoris Subtilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

N. Undecimus est ex 4. dist. 1. qu. 2. art. 6. *questiunc. 2.* ubi relata opinione D. Gregorii, S. Thomas adheret illi ut probabiliori, ait M. Gonet. l. c. n. 91. Etenim inquit S. D. *Sed quia hoc non videtur consonare verbis Gregorii, ideo probabilius dicunt, quod parvulus non suffiebat sola fides.* Idem repetit S. D. in 4. ad Amibaldum dist. 1. qu. 2. art. 2. Immo M. Gonet. n. 53. ut occurrat objectioni sumpta ex textu D. Thomae adducto ait: Ad D. Thomam fateor ipsum in oppositam opinionem ut probabilem inclinasse. Ecce 1. teste Gonet, non tantum iudicium de probabilitate, sed etiam de probabilitate, juxta D. Thom. satis est, ut prudenter opinemur: ergo etiam ut prudenter operemur. Ecce 2. multiplex Gonet secum ipso contradicito, nam alibi negat, tum quod minus probabile sit probabile; tum quod satis sit solum reflexum de probabilitate iudicium. Ecce 3. quod S. Thom. non dicit *sibi probabilius esse*, sed dicit esse aliis probabilius; ait enim, *Ideo probabilius dicunt*: ergo licitum est ex S. Thom. sequi quod alii probabilius iudicant: ergo falsum est Anti-Probabilitatum principium, quod nemo operari possit, nisi alicuiam opinionem faciat suam.

N. Duodecimus est ex 3. p. qu. 78. art. 3. ubi ait: Quidam dixerunt, quod de substantia formae huius est hoc solum, quod dicitur, Hic est Calix sanguinis mei; non autem ea, quae sequuntur... Et propter hoc sunt alij, qui melius dicunt, quod alia sequentia sunt de substantia formae. Ecce nititur iudicio alieno de probabilitate, suspento omni iudicio proprio tum directo de veritate, tum reflexo de probabilitate.

N. Decimustertius est ex 1. p. qu. 62. art. 9. ad 3. ubi loquens de Angelis beatis ait: Quidam dicunt, quod quantum ad premium accidentale etiam mereri possunt. Sed melius est, ut dicatur, quod nullo modo aliquis Beatus mereri potest, nisi sit simul viator, & comprehensor, ut Christus. Ecce iudicium reflexum, melius est, ut dicatur.

N. Decimusquartus est ex 2. 2. qu. 69. art. 3. in fine, ubi agens de vitiis contra iustitiam, & quaerens, an appellatio a sententia sit licita, & sibi obiciens, quod non sit licitum appellare tertio super eodem, respondet: *Ideo autem non est concessum, ut tertio aliquis appelleret super eodem, quia non est probabile, toties iudices a recto tramite declinare.* Ecce 1. per hoc praecise, quod non sit probabile iudices toties a recto tramite declinare, infert licitum non esse tertio appellare: ergo si esset probabile, esset, juxta S. Thom. licitum. Ecce 2. quod iudicium reflexum de non probabili Tom. III.

litate inferat non licentiam: ergo reflexum de probabilitate inferet licentiam: ergo per hoc praecise, quod quis formet reflexum de probabilitate iudicium, satis erit, ut licite, aut honeste operetur.

Decimusquintus est ex 2. 2. qu. 184. art. 3. N. ubi ait: *Non afficitur transgressor praecepti aliquis ex hoc, quod non optimo modo implet, (lo. S. Tho. quitur de praecepto charitatis) sed sufficit, quod quocumque modo impleat illud:* ergo ex S. Thom. neque fiet transgressor praecepti veritatis, qui non sequitur probabilius, sed satis ut sequatur probabile; ubi enim veritas est incerta, satis est sequi certo verisimile, non autem ex verosimilibus verosimilium; hoc autem dupliciter, vel directe, vel reflexe assentiendo verosimilitudini.

§. IV.

Ex mente Doctōris subtilis.

SUMMARIUM.

Ait in Sacramentis solam tutissimam, aut ei proximam, si ea non est possibilis, sequendam, adeoque non satis iudicium de maiori probabilitate, sed de veritate necessarium, n. 43.

Ait viam faciliorem, & certiorē ad gratiam tenendam, n. 44.

Quā animi moderatione in ferendo iudicio de alienā opinione procedat, n. 45.

Ait necessarium semper iudicium reflexum de objectivā probabilitate, ibid.

Utramque contradictoriam vocat probabilem, tam negantem, quā tuentem Beatum posse videre omne futurum, & possibile, n. 46.

Utitur solo reflexo, n. 47.

Si dubium speculativum recte solvitur per solum reflexum de probabilitate, etiam practicum, n. 48.

S. Damascenus utitur solo reflexo, ibid.

Scotus descendit ut probabilem opinionem tuentem, quod substantia sit quid positivum, etsi negantem dicat probabiliorem, n. 49.

Scotus descendit ut probabilem opinionem negantem, quod sint de necessitate consecrationis verba antecedentia ad haec, Hoc est corpus meum; etsi alibi oppositam absolūtē docuerit, n. 50.

Scotus ex eo quia non est certum, quod verba sequentia ad iō sanguinis mei, sint de essentia formae consecrationis, ait esse periculosum hoc asserere, n. 51. 52.

Periculosum est, juxta Scotum, asserere legem, quae non est certa, n. 53.

Hinc sequi tutius juxta Scotum est purum consilium, n. 54.

Utitur solo iudicio reflexo, n. 55.

Sij

Valde

Valde notandum, quod Scotus dicat opinionem asserentem omnia verba esse de essentia forma consecratoria sanguinis, esse periculosam, etsi eam tueatur D. Thom. eo quia non datur certa lex, n. 56.

Est ergo principium antiquissimum, quod lex, nisi sit certa, non obligat, ibid.

Scotus problematice se gerit circa dubium, an Episcopatus sit ordo distinctus à Sacerdotio, n. 57.

Loquens de Deipara Conceptione suspendit directum, & appellat ad solum reflexum de probabilitate pie sententiae, n. 58.

Scotus plures sequitur minus tutas minus probabiles, n. 59.

N. 43. **A**lter Scholasticæ Theologiæ Princeps est Scotus, ex quo plura lego apta ad rem nostram. Primus textus est ex 4. dist. 3. qu. 2. ubi ait: In Sacramentis veritatis, nihil est falsitatis, & ideo Ministro numquam licet certam viam omittere, subdit tria circa materiam, & formam Sacramentorum observanda esse. Primum, si possibilitas adest, via tutissima est eligenda. Secundum, si possibilitas non adest, proxima via tutissime tenenda est. Tertium, cessante impossibilitate, cautè est supplendum, quod impossibilitas prohibeat. Hæc Scotus apud Fogar. d. 3. part. 2. ex Maftrio n. 104. Ecce 1. quàm solide Subtilis Doctor paucis verbis Sacramentorum materiam digesserit, nempe nullum iudicium, etsi moraliter certum, nisi sit verum, satis esse, ut Sacramentum in re existat, etsi satis sit, ne Minister illicite ministret, quia valor Sacramenti pendet à veritate. Ecce 2. ad rem præsentem ait, quod via certa, & vera quaerenda est; hæc autem cum in solo iudicio reflexo evidenti de objectivâ certitudine morali, aut probabilioritate veritatis opinionis invenibilis sit; neutra autem in ullo iudicio directo, etsi moraliter certo, indispensabiliter reperiatur; eo ipso melius operamur sub solo iudicio evidenti reflexo; in hoc enim est veritas, & certitudo sui objecti, nempe probabilitatis, quàm sub solo directo, quod etsi moraliter certum potest esse in re fallum.

N. 44. **S**ecundus est ex 4. dist. 17. qu. un. ubi ait: Ubi via est facilior, seu magis in potestate hominis, & certior ad gratiam recuperandam, tenetur quilibet ad illam viam; sed hoc præcipue convenit iudicio reflexo evidenti de objectivâ probabilitate; non ita iudicio directo subjective probabili, quod semper est incertum de sui objecti veritate; ergo eo potius, quàm iudicio directo uti tenemur. Aliter Maftrius in 2. d. 5. n. 112.

Tertius est ex 3. dist. 25. qu. 1. n. 1. ubi ait: Bene videndum in moralibus antequam aliquid asseratur, quia cum habens duas opinioniones contrarias perplexus sit, periculose se determinat ad unam, nisi re diligenter inspectâ illam probabiliorē agnoscere. Ecce ex Scoto necessarium est iudicium prævium saltem de probabilioritate opinionis, antequam quis ei assentiatur; obligat autem ad illud, non autem ad assensum directum: ergo ex Scoto necessarium est iudicium certum de probabilitate, non autem directum de veritate. Nolo autem occasione quæ Scotum legi, prudens ejus dictum omittere, qui in 1. dist. 8. qu. 1. §. de intentione istorum, nempe Aristotelis, & Avicenna, & quidem in re philosophicâ loquens hæc habet: Illis autem imponenda non esse absurdiora, quàm ut dicant, vel quàm ex dictis eorum necessario sequitur; & ex dictis eorum rationabiliorem intellectum esse accipiendum. Hæc Scotus, ubi advertere est animi moderatio, quæ in aliorum sententiis procedit. Vide Maftr. in 1. d. 2. n. 8.

Quartus est ex 3. dist. 4. qu. 2. §. Sed hys. N. & §. Tertio modo. ubi ait, probabile esse utramque sententiam, tam affirmantem, quàm negantem, quod Beatus possit in Deo videre omnes creaturas futuras, & possibles. Ecce tum simulatas probabilitates objectivæ, tum solum reflexum de hac probabilitate iudicium. Lege Maftr. in 1. dist. 6. n. 250.

Quintus est ex 4. dist. 13. qu. 1. art. 3. ubi N. ait: Non credo semper causam secundum recipere motionem specialem à causâ primâ. Ecce non dicit, credo, quod non semper recipiat; quod esset iudicium directum; sed dicit, non credo, quod semper recipiat: ergo suspendit iudicium directum, & per ejus omissionem rectè solvit quaestionem, an causa secunda recipiat semper motionem à primâ. Hoc modo resolvendi quaestiones incertas, appellando ad solum iudicium reflexum de probabilitate, utitur sæpe Scotus, dicendo ex. gr. probabilis est non teneri restituere; quia illud reflexum in ordine ad regulandam volitionem ad operationem, aut omissionem, æquivaleret iudicio directo subjective probabili, aut probabiliori: ex. gr. non est restituendum; cum hoc discrimine, quod suspendens directum non est capax erroris, eliciens est capax.

Sextus est apud Maftr. in 2. d. 2. n. 2. ubi N. quaerens Scotus, an dari possit in Angelis pluralitas specifica, ait: Statuitur hæc conclusio de possibili, quia de facto etiam si valde de probabilis sit, ut affirmat Damascenus apud

apud Scot. in Elementario cap. 12. Ecce Damascenus, juxta Scotum, judicavit valde probabilem opinionem, quod omnes Angeli differant specie: ergo, juxta Damascenum, Scotum, & Maitrium, questio directæ rectè solvitur per solum reflexum de objectiva probabilitate judicium. Si autem hoc conceditur in materia speculativa, cur non in practica? ut enim in hac tenemur ad practicam veritatem, ita in illâ ad speculativam: ergo si non obstante hac obligatione, dubium de veritate speculativa rectè solvitur per solum judicium reflexum de probabilitate veritatis speculativæ, omisso directo de veritate speculativâ; ita etiam non obstante obligatione veritatis practicæ, dubium practicum satis, & rectè solvetur per solum reflexum de probabilitate veritatis practicæ judicium, omisso directo de veritate practica.

N. Septimus est ex 3. dist. 1. qu. 1. art. 3. & dist. 6. qu. 1. & quodlibet. 19. art. 3. & in 1. dist. 7. & dist. 23. §. Ad questionem. ubi putat, quod subsistentia probabilis sit quid negativum, est dist. 1. qu. 1. in 3. probabile simul putet oppositum. Ecce Scotus hoc loco defendit ut probabilem oppositam: ergo omne judicium directum suspendit tum de veritate alienæ, cum hæc esset sibi minus probabilis, tum de veritate propriæ. Rursus propriam defendit tantum ut probabiliorẽ; ergo satis reflexum de probabilitate.

N. Octavus est, quem Tartaretus fidelissimus Scoti Interpres, Hiquius, Pontius, Maitr. in 4. dist. 3. qu. 6. n. 137. & 138. produciunt; dicunt enim Scotum defendisse ut probabilem opinionem tuentem, quod verba antecedentia ad hæc, *Hoc est corpus meum*, sint de necessitate consecrationis; non ut veram, nam alio loco oppositam absolute docuit: ergo licet resolutio questionis directæ per solum probabilitatem, & quidem minorem.

N. Nonus, & valde clarus textus est ex 4. dist. 8. qu. 2. §. De isto secundo articulo, ubi dixerens, an omnia verba, quibus utimur, sint de consecrationis essentia, ait: Dico breviter, quod non est nobis traditum omnino certitudinaliter, an ad formam consecrationis sanguinis pertineant aliqua verba post illud, *Sanguinis mei*; ideo periculosum est hoc asserere, de quo nulla autoritas adest. Hæc Scotus.

N. Ecce 1. eo ipso quod non est omnino certum, quod verba sequentia ad tō *sanguinis mei*, pertineant ad formam consecrationis sanguinis, est periculosum hoc asserere juxta Scotum; ergo juxta Scotum, quoties lex Tom. III.

non est omnino certa, est periculosum illam asserere.

Ecce 2. esto dicat, tutius est omnia proferre, immo omnia Canonis verba distinctè legere, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, & hoc ad tollendos scrupulos; atamen ait, esse periculosum dicere, quod detur lex de hoc faciendi, quasi ea verba, quæ supra Calicem proferuntur, omnia essent de essentia: ergo, juxta Scotum, periculosum est asserere legem, quoties non est certa.

Ecce 3. quod sequi tutius, juxta Scotum, non sit nisi consilium, non autem obligatio, immo talem obligationem asserere est periculosum.

Ecce 4. unice reflexè asserit, periculosum N. esse asserere, quod omnia verba sint essentia- lia ad sanguinis consecrationem; non autem directè asserit, non sunt, quia est æquivalenter idem: ergo sicut hæc duo inter se æquivalent, periculosum est asserere omnia verba esse de essentia, ac dicere, non sunt de essentia; ita hoc duo etiam inter se æquivalent, probabile, aut probabilius est non esse de essentia, ac dicere, non sunt de essentia.

Ecce 5. rem bene notandam, quod cum N. opinio S. Thomæ asserens omnia ea verba esse de essentia consecrationis, stet pro lege; opinio autem Scoti negans stet pro non lege, ait periculosum asserere dari legem, quoties hæc non est omnino certa. Videant modo Anti-Probabilistæ, an nostrum principium, *Lex non obligat, nisi certa sit*, sit Modernorum inventum. Videant, an Antiqui illis favcant, negando licitum usum minus probabilis stantis pro non lege, cum Scotus protestetur periculosum esse asserere dari legem, si hæc non sit omnino certa: ergo multo magis asserere legem, quæ non tantum non est certa, quin probabiliter negatur.

Decimus est ex 4. dist. 24. art. 2. ubi problematicè se gerit circa dubium, an Episcopus patet sit ordo distinctus à Sacerdotio, ut ait Maitr. in 4. dist. 4. de Sacram. Ordinis n. 8. ergo dubia rectè solvuntur per probabilitatem utriusque partis.

Undecimus valde manifestus est ex 3. N. dist. 3. qu. 1. ubi loquens de Deiparâ sine labe conceptâ, præmissâ triplici distinctione Scoti, concludit: Quid autem horum trium, quæ ostensa sunt possibilia, factum sit, Deus novit. Si authoritati Ecclesiæ, aut Scripturæ non repugnat, videtur probabile, quod est excellentius Mariæ tribuendum. Hæc Scotus. Ecce 1. suspendit omne judicium directum, & utitur solo reflexo. Ecce 2. non

T iij dicit,

dicat, *probabilius*, sed dicit, *probabile*. Vide quæ dixi d. 11. à n. 123.

N. Demum legi potest Bordonus in *Propugnac. Opin. Prob. cap. 17.* ubi fultè solvit quæ Merenda affert ex Scoto contra Probabilitas; facile enim Lector colliget plura ad nostrum intentum, nullum autem pro intento Merendæ, ut ostendit Maffrius in 2. d. 5. & Bordon. l. c. relatis pluribus opinionibus Scoti minùs tutis, & minùs probabilibus.

§. V.

Ex mente Divi Bonaventuræ, Divi Prosperi, Divi Gregorij, Divi Antonini, & Divi Francisci de Sales.

SUMMARIUM.

S. Bonav. opinionem stantem pro non confessione circumstantiarum vocat probabilem, etsi oppositam sequatur ut probabilior, n. 60.

Idem ait de diversis alijs opinionibus, ibid.

Procedit sub solo reflexo, ibid.

S. Bonav. ex eo quia opinio nil convincens habeat contra se, & plura habeat pro se, ait eam sustineri posse, atque adeo satis esse objectivam probabilitatem, n. 61.

S. Prosperus ad solam probabilitatem recurrit, n. 62.

S. Gregorius negat necessarium judicium absolutum de veritate in re incertâ, n. 63.

S. Antoninus insinuat excusari à culpâ, qui sub solo reflexo de probabilitate operatur, n. 64.

S. Franc. de Sales consulit, ut quis Toleti Summam sequatur, adeoque satis certa probabilitas veritatis opinionis, n. 65.

N. 60. S. Bonavent. **S**ancus Bonav. sæpissimè utitur solâ probabilitate, suspensio judicio directo, immo utramque opinionem oppositam judicat sepe probabilem, adeoque tutam in praxi, etsi sequatur probabilior; hoc autem non facit, quia judicet dari legem sequendi probabilius, sed quia melius est. Primus textus est in 4. dist. 17. art. 2. qu. 3. ubi sententiam affirmantem nos teneri aperire circumstantias purè aggravantes, vocat probabilem, etsi oppositam sequatur, & vocet probabilior. Secundus in 4. dist. 31. art. 2. qu. 3. ubi quærens, an qui ex concupiscentiâ copulatur uxori, peccet semper mortaliter, quamvis negantem vocet probabilior, & eam sequatur; attamen affirmantem vocat probabilem. Tertius est in 4. dist. 36. art. 2. qu. 3. ubi duplicem opinionem tamquam probabilem trahit; quod idem præstat dist. 39. art. 2. qu. 1. & 2. de juramento doloso. Ergo ex S. Bonav. licet operari ex solâ pro-

babilitate objectivâ; tum quia oppositam suæ non vocat veram, sed probabilem; tum quia non vocaret probabilem, nisi liceret eam sequi; quomodo autem? Non assensendo directè; nam directè assensur sibi probabiliori; ergo nixus soli reflexo judicio de objectivâ probabilitate veritatis opinionis oppositæ.

Sed omisiss alijs, ecce in terminis nostra sententia ex S. Bonav. in 4. dist. 38. art. 2. qu. 61. 3. ubi quærit, an Summus Pontifex possit dispensare in voto; & relatâ triplici opinione, primâ affirmante universaliter de omni voto; secundâ, & terriâ limitante, subdit: *Quæ istarum opinionum sit verior, scire non scire; & satis (N.B.) qualibet sustineri possit, ideo nullam aspero. Siquis tamen veli hanc ultimam acceptare, non occurrat ei inconveniens manifestum, ut dicitur.* Ecce præter licitum ultum cujusque opinionis certo probabilis, & præter fundamenta, quibus eum probat, & nos probavimus, nempe quòd possit sustineri, & nihil habeat evidens contra se, expresse dicit te nulli adherere directè; immo ideo nulli directè adheret, quia qualibet eas sustineri potest. Quomodo autem hæc duo combinari possunt, nempe se nulli assensuri, & tamen quamlibet à se sine culpâ, seu satis sustineri posse; quomodo, inquam, hæc combinari possunt, non video, nisi quia quælibet est certò probabilis, & per hoc, quòd quælibet talis est, dicit, quòd sine culpâ sustineri possit; sed implicat, ut aliqua sustineri possit suspensio omni directo assensu cujuslibet, nisi per certum reflexum de objectivâ probabilitate judicium; ergo hoc satis est ad sustinendam opinionem.

S. Prosperus lib. 2. de Vocat. Gentium cap. N. 22. ait: *Non irreligiosè arbitror credi, neque eo-62. convenienter intelligi &c.* Ecce judicat esse S. Prob. valdè probabile, quòd Deus universis Nat. & Mm. tionibus eam gratiam largiatur, quâ utique bene uterentur eorum parentes, etiam ipsi (nempe infantes) per eosdem jurentur. De quo vide P. Muncif. tom. de Gratiâ d. 12. sect. 10. Ecce S. Prosperus ad solam probabilitatem appellat.

S. Gregorius ait: *In rebus dubijs non debet N. judicium esse absolutum;* id est, omnino fir-63. mum; immò cum omne judicium directum & Grog. sit absolutum de veritate, nam absolute affirmat, aut negat rei veritatem, quamvis sit opinativum, atque adeo semper cum formidine; hinc omne opinativum directum est quidem absolutum, prout opponitur modo-64. li, non autem prout opponitur incerto; immò omne est incertum, si est intra lineam probabilitatis, quacumque ea sit. Eo autem ipso,